



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalium Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. 10. Dei templum, & sacrarium Virginis Dei Matris honori
consecratum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

CAPVT X.

*Dei templum est, & sacrarium Virgini-
nis Matris honori consecratum.*

MIrari nemo debet, si quam amat Sodalitatem Beata Mater, ornamentis suis ac prærogatiuis illustrat, in eamque suas laudes amicâ quadam cõmunicatione deriuat, aut si patronam ducemque suam Sodalitas æmulatione proximâ licet immenso quodam pòst interuallo proximâ consecrari, illique quàm minimè esse dissimilis ope diuinę gratiæ contendat. Multa sunt Deiparę symbola, quę singulari eius beneficio Sodalitati possunt accõmodari; ex quibus ea nunc selegi, quę Deum in animis nostris commorantem exhibent. Cuiusmodi sunt: Domus sapientiæ, Aula Dei, Tabernaculum fœderis, Sanctuarium Dei, Templum Domini, Sacrarium Spiritus sancti, totius Sanctissimæ Trinitatis nobile Triclinium: quę aliaque eiusmodi Deiparę Virgini antonomasticõs

con-

conuenire nemo nescit; tamen ad Sodalitatem, singulorumque Sodalium animas diuina Christi Domini gratia ac charitate exornatas traducere licebit.

Corinthios Apostolus vniuersim alloquebatur cum diceret: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum violauerit, disperdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Vos estis*

1. Cor. 3.
16. 17.

templum Dei viui. Sicut dicit Deus, Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter illos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Neque propterea quidquam Apostolus de Sanctissimæ Dei Matris prerogatiuis detrahit, quæ speciali quadam ratione Dei templum existit, augustissimumque Sanctissimæ Trinitatis triclinium, quam omnipotentia suæ virtute Pater æternus obumbrauerit, in quam Spiritus sanctus superuenerit, & sese totum infuderit, Filius in ea, atque ex ea naturam induerit humanam, eiusque ven-

2. Cor. 6.
16.

tris

*Contra Hel-
vidium.
Serm 4. de
Assumpt.
Serm. de
Christi Na-
tiuit.*

Serm. 144.

*Psal. 47.
10.*

Psal. 45. 5.

Psal. 92. 5.

Psal. 28. 2.

tris benedicti fructus & filius effectus
fit, quam Templum Dominici corporis,
Sacrarium Spiritus sancti vocat Hiero-
nymus: insuper habitaculum Filij Dei
Bernardus. De qua item aptissimè Cy-
prianus: Non recesserat à venerabili pe-
ctore Matris Spiritus sanctus ad verbum
Gabrielis illapsus, possidebat domum
suam, & templum quod sibi consecra-
uerat, adornabat. Nempe, quod ait
Chrysologus, facta est Virgo magnum
deitatis templum, quæ erat pusillum hu-
manitatis hospitium, De Virgine Dei
matre illum Regij Vatis versum Eccle-
sia longè optima interpret intelligit: *Sus-
cepimus Deus misericordiam tuam in medio
templi tui.* Et illum: *Sanctificauit taberna-
culum suum Altissimus.* Item: *Domum tuam
debet sanctitudo.* Adorate Dominum in aula
sanctâ eius, vbi legimus *in atrio sancto eius.*
Aulam Regis æterni Ambrosius & aliàs
ait. Mirum non est præ cæteris Ioannem
locutum fuisse diuina mysteria, cui præ-
stò erat aula cælestium sacramentorum.
Verè non est hîc aliud nisi domus Dei,
& porta cæli. Quæ, si propitiâ & cupien-
te

te clementissima matre, traducantur ad Sodalitatem, id opinor ex ipsius Deiparæ, quæ nobis eius gratiæ conciliatrix fuit, & Dei maiore gloria futurum est. Ac quemadmodum vniuersa Ecclesia sic est Christi Domini sponsa, vt tamen, & animæ singulorū eiusdem sint spōsæ, & inter eas eximia princeps vnica Diua Mater: ita de templo ratiocinandum est, Sodalitatem, singulosque Sodales esse templa similitudine quadā, vti Deipara primarium est Deitatis templum, & quæ Deiparæ quoque titulum præferāt, quæ sint eius nomini & honori dicata. Vt nulla ferè est prouincia, vrbs nulla celebrior, in quā non illustre quoddam magnificumq; Sanctissimæ Matris templum emineat, quod Dei quidem sit templum, in quo diuino Numini sacrificiū offeratur, sed in Beatæ Matris honorem exstructum, ac per eam Deo dedicatum: ita Sodalitatem vniuersim, singulosque contenderim Sodales Dei quidem esse viua templa, ab eo possessa & inhabitata, in quibus ille colatur, adoretur, laudetur, non secus atque in templis inanimatis,

matis,

matis, sed Deiparæ titulo prænotata, eius-
 que honori ac nomini cōsecrata, ex quo
 potissimum honorificā inscriptione di-
 uino Numini sunt gratiora. Ipsa in Sodalitatem receptio, solemn̄is huius templi
 quædam esse videtur inauguratio ac de-
 dicatio. quæ suis quoque constat spiri-
 talibus cerimonijs. Nam aspersio peccatorum est deterfio, quæ fit præuia generali vitæ totius exhomologesi. Inscriptio in cinere, legum Sodalitatis à Christo Domino Pontifice in corde nouo, quod ipse dat contritum & humiliatum, impressio. Vnctio vbertas gratiæ, & suauissimæ cum Deo, cum Deipara, cum cælitibus consuetudinis vsus. Illuminatio ex copia diuinarum inspirationum, & rectè factorum, quæ Deum Patrem, & Virginem matrem glorificent, luce dimanat. Denique benedictio, tum Christi Domini, tum Sanctissimæ eius Matris adhibetur, vti signaculum, & æternæ gloriæ consecuturæ pignus, quæ & gratiam complebit, & præterita merita compensabit abundantissimè. Iam vt in veteri Salomonis templo,

plo, duplex erat altare, vt obseruat S. Au-
 gustinus: in illo quod foris erat, cædeba-
 tur animantium sacrificium, in isto quod
 intus erat, thymiamatis offerebatur in-
 censum; ita duplex Deus à nobis exigit
 sacrificium, vnum vt casti simus corpore
 forinsecus, cælis ac mactatis illis bru-
 tarum cupiditatum victimis, aliud vt
 mundo corde intrinsecus, incenso piæ
 precationis odorato suffitu: quale sacri-
 ficium obtulit ab ipso primitus immacu-
 lato conceptu Sanctissima Virgo, aut
 certè cum à parentibus in templum tri-
 mula est deducta, corpus & animum
 Deo consecrās, integritate virginea cor-
 pus, animum obedientia, atque oratio-
 nis assiduitate. Castè & piè viuentes aie-
 bat clarissima Martyr & virgo Lucia,
 templum sunt Spiritus sancti, castitas
 corpus, pietas animum Deo templum
 consecrat, illumque diuinum hospitem
 perpetuum habere promeretur. Quid
 loquar, inquit Ambrosius, quanta sit *Epist. 28.*
 virginitatis gloria, quæ meruit à Christo
 eligi, vt esset etiam corporale Dei tem-
 plum? Diua Mater corporale, at castus
 quis-

quisque Sodalis spirituale est Dei templum; ut illa corpore, ita nos animo Deum excipimus inhabitatorem. Non est istiusmodi Sodalis animus obuium cuique cogitationi forum, non litigiosum tribunal, in quo molestissimæ rixæ, lites, contentionesque perstrepant; non culina vilis, in qua de cibis & obsonijs agitur; non infamis popina, non prostibulum & lupanar, quod fœdissimæ de honestet imaginibus voluptatum; sed Deo deuotum, illibatum, purumque templum, sacratis Christi Domini, ac Sanctissimæ Matris vitæ mysteriorum imaginibus depictum & exornatum, viuum & animatum Dei templum, in quo ille suprema latria iugiter adoreretur, victimaque Sacrosanctæ humilitatis oblata placetur, laudes eius concinantur, actionesque gratiarum persoluantur, petitiones & obsecrationes exaudiantur, cuius quidem beneficii quod opinione nostra maius est, origo & causa clementissima Mater existimari debet. Nam quemadmodum in Salomonis templum, ubi sacerdotes arcam in Sanctuarium intulissent, descendit

dit nebula, de quâ dixit Dominus vt habitaret in nebulâ, ita vt sacerdotes stare, & ministrare non possent. Impleuerat enim gloria Domini domum Domini: ita vbi Deipara verissima fœderis arca, in intimum pectoris nostri penetrare successerit, vbi in illud Sanctuarium fuerit illata, mox illud implebit Domini gloria ac præsentia, non in nebula densiore, quæ impediat ab officio, sed in clarissima luce diuinarum illustrationum, quibus ad omne virtutis opus excitemur ac dirigamur. Ad eam sanè consuetudinem cum Deo, Diua Matre cœlitibusque, quantum præsidiij Sodalitas afferat, quantam diuinis rebus vacandi præbeat opportunitatem, seclusis hominum sæculi colloquijs ac congressibus inutilibus, præscripto crebriore Sacramentorum vsu, indicta meditandi & orandi certo quodam temporis interuallo necessitate, alijsque regulis sanctissimis, haud facillè dici potest. Quare vt aliquando finiam, quod de Ecclesia Vates Isaias, id ego verè de Sodalitate dixerim: *Et tabernaculum erit in vmbra culum diei ab æstu, & in securitatem*

3. Regum 8.

10. 11.

Isaia 4. 6.

G

& absconsionem à turbine, & à pluviâ. Tabernaculum militantium & peregrinantium ab æstu concupiscentiæ noxiæ, in absconsionem à turbine procellarum ac tentationum adolescentiæ maximè turbidarum. Denique quod Ioannes in Apocalypsi de cælesti Ierusalem, ad eiusdem peregrinantis Hierosolymæ particulam Sodalitatem accommodare licet:

Apoc. 21. 3. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

CAPVT XI.

De utilitate legum Sodalitatis, quibus eius administratio continetur.

*2. 2. q. 93.
a. 3.*

DVplici ratione ac via cōficit S. Thomas legem omnem, modò bona sit ac iusta, nihil esse aliud quàm derivationem, & radium quendam legis æternæ. Primum participatione eius potestatis quæ necessaria est ad legem condendam, de qua Apostolus: *Omnis potestas à*

Deo